

## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (50)*

Postquam condiciones Tragoessianas, sicuti primis tribus semis annis appa-  
ruerunt, fuse explicuimus, brevem rationem intermedium trahere conabimur.  
Fundamentale enim problema initium iam cepit, cum Ottiliani pretio ex-  
aggerato rem sibi acquirerent, ad quam emendam eis subsidia pecuniaria non  
erant et ad quam bene oeconomiceque tractandam eis scientia atque expe-  
rientialia deerant. Pelliciti falsis indiciis de lucro futuro atque computationibus,  
quae realitati non convenerunt, sine testimoniosis sententiisque independenti-  
bus ad negotium accesserunt, cui ab initio erant impares. Ut praedium sine  
opibus propriis omnino emi posset, magna pecunia credita erat assumenda,  
cuius usurae nimis altae erant (quae condicio fortasse causam habuit in  
properatione, quā pecunia credita erat invenienda). Iam in ipsā emptione  
Ottiliani decipiebantur et iidem praecipitanter aes alienum contraxerunt,  
quod lucro praedii vix extante reddere non valebant. Cum emptionis effec-  
tum ipsum in melius reddere conarentur - postquam calamitatem animad-  
verterunt -, reconciliatio quidem cum venditore facta est, quā Ottiliani tamen  
non revera emolumentum sibi efficere valuerunt. Ut reliquum pretium emp-  
tionis, primam pecuniam creditam magnam atque minores pecunias creditas  
interea assumptas, id est imprimis earum usuras solvere possent, in argentariā  
quādam Nederlandicā maiorem summam pecuniae mutuo acceptae sibi dan-  
dam procuraverunt, quae nihilominus non sufficiebat, ut omnia debita accu-  
mulata solverentur. Praeterea etiam haec nova pecunia credita aliquando erat  
reddenda. Itaque unum foramen aperiebatur - ut ita dicam -, ut aliud foramen  
contegeretur. Interea conamina quoque praedii vendendi in irritum cecide-  
runt, quia emptoribus, quorum res fortasse intererat, pretium nimis magnum  
erat, etiamsi Ottiliani pecuniā hunc in modum acquisitā debita sua solvere  
omnino non potuissent. Illo spatio temporis conamen interim ultimum, quo  
Ottiliani contractū lignorum caedendorum plus pecuniae acquirerent atque  
lucrum efficerent, etiam ad irritum redactum esse putandum est. Hac quoque  
in re responsales Archiabbatiae denuo se decipi siverunt. Praeterea illo co-  
namine «liberationis» decursū temporis - ut videbimus - a nonnullis, qui hac  
in re egerunt, alia problemata efficiebantur. Itaque hōc gressū factō dif-  
ficultates, quae iam primā actione emendi evocatae erant, maiorabantur.  
Insuper accessit, quod quidam responsaliter agentes hac in re bonis consiliis  
resistebant.

Summatim ergo dici possunt haec: pecuniā propriā non extante atque re

objective non probatā nihil emendum est, de quo emptor nihil intellegit. Et praeterea in consultationibus cum negotii socio - quisquis ille est - animo non nimis fidenti agendum est atque respectū falso modo perceptō, ne dicam timore, postulata ad supervivendum necessaria neglegenda non sunt.

Problema autem Tragoessianum hunc in modum iam pridem non erat finitum.

## 14. De muneris abdicatione Archiabbatis Norberti Weber

### 14.1. *De visitatione canonica*

Condicio ergo rei Tragoessianae illo temporis momento erat fundamentaliter desolata. Sed hoc - quamquam satis malum - non erat unicum problema. Nam condicio quoque interna Archiabatiae non erat optima. Quae quidem cohaerebat una ex parte scilicet cum difficultatibus crescentibus Tragoessianis, cum Conventus iure meritoque putavit se hac in re non satis multos atque deficientes, immo partim falsos nuntios accepisse.<sup>1</sup> Fiduciae coniunctio inter monachos atque Archiabatem itaque valde onerabatur. Cum Archiabbas Norbertus fiduciam evanescensem sive debilitatam confratrum suorum sentiret, se recepit atque quaestiones imminentes eo minus quam mensibus praeteritis communicavit.<sup>2</sup> Tali receptione tamen rerum status inter Archiabatem atque Conventum non meliorabatur, e contrario se gerendi modus invicem amplificatus utriusque partis putandus est. Accessit, quod iam ex nonnullis annis intra monasterium Congregationemque de monasticā disciplinā minutā monachorum Otteliensium questū exhibebantur, quae viribus Archiabbatis decrescentibus atque eius imbecillitati ducendi inde exortae adscribebatur.<sup>3</sup>

Aliquid faciendum esse, ut ex hac condicione perniciosa evenirent, omnibus persuasum erat. Deliberationes, quid agi posset, iam ex aliquo spatio temporis disputabantur, cum P. Meinulfus Küsters suā sponte die 17<sup>o</sup> m. Nov. a. 1929<sup>o</sup> petitionem directe ad Congregationem Religiosorum mitteret atque

---

1 Talis perceptio speciatim manifestatur adnotationibus illius temporis annalistae P.ris Reinholdi Hoch in Annalibus, 22.10.1929 (ASO, A.3.4.4).

2 Archiabbatis Norberti condicio animi bene significatur ex.gr. epistulā die 12 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578). In epistulā suā ad Abbatem Primate die 14 m. Dec. a. 1929 missā (ASA, APr 578) insuper scripsit: «*Archiabbatia Otteliensis mihi iam paene facta est locus alienus.*» - Sententia originaliter Theodisca.

3 De curā suā, quae ad disciplinam deficientem spectabat, annis anterioribus episcopus Thomas Spreiter atque Abbas Bonifatius Sauer et inter se et cum Abbe Primate Fideli von Stotzingen opinione communicaverant.

rogaret, ut visitatio canonica Archiabbatiae Otteliensis sive alia inspectio institueretur.<sup>4</sup> Ipse textus huius scripti est hic:<sup>5</sup>

«Eminentissime Princeps,

*Ego, P. Meinulfus Küsters, O.S.B. monachus professus Archiabbatiae Otteliensis in Bavaria sitae Eminentiae Vestrae nonnulla facta salutem Congregationis nostrae enixe attingentia proponere humiliter exposco.*

*Primum quidem quoad statum exteriorem Congregationis nostrae:*

*Ab anno 1926 usque ad annum 1929 negotiabatur de acquirendo fundo, qui Tragös nuncupatur, in Austria sito. Cuius fundi valor, sicut ipse P. Cellarius Aloysis Seibert O.S.B. Archiabbatiae Otteliensis per litteras mihi affirmavit, non plus quam 3.500.000 shill. Austriaci valoris aestimatur. Nos autem usque ad diem 28. Mensis Augusti 1929 non minus quam 8.300.000 shil. onus contraximus propter eundem fundum. Denique cum nulla alia facultas pecuniae acquirendae data esset, Cellarius una cum Archiabate asserebatur fieri non posse, quin Archiabatia ruinam non effugeret, nisi contractus cum duobus mercatoribus Judaicis Vindobonae negotiantibus iniretur. Qui contractus Conventui Otteliensi propositus ea tantum condicione accipiebatur, ut antea S. Congregationi proponeretur eiusque placetum reciperet.*

*Quod placetum eo magis necessarium esse videtur, quod emptor quidem fundi persona juridica «Kulturverein Tragös» est, monasterium autem Otteliense expresse obligatur omne aes alienum ab Kulturverein Tragös contractum solidariter ferre et solvere. Re vera monasterium et illa persona juridica «Kulutrvverein Tragös» duae personae juridicae absolute distinctae sunt, quod ex ea re patet quod nusquam conventus Otteliensis rationem de fundo Tragös acceperit, et nunc administrationes fundi et monasterii absolute separatae sunt. Archiabbas ipse Conventui ante contractum initum se rem ad S. Sedem relaturum esse promisit. Me autem fugit an hoc promissum expletum sit necne. Conventui autem Otteliensi ratio aeris alieni delendi propria est, quam exsequentes totum aes alienum intra 10 annos deleremus et insuper 1.000.000 shil. restaret. Quae vero summa tota ex fructibus fundi*

---

4 Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), S. 39 affirmit duos Patres Ottelianos Romae visitationem petivisse, qua in re ipse (adn. 42) suspicatur unum ex illis fuisse Priorem P. rem Martinum Malter, et praeterea scribit alterum P. rem Meinulfum Küsters indicari. Haec sententia de duobus petitoribus tamen neque congruit cum scripto ad Congregationem Religiosorum directum neque cum allis documentis fontium.

5 Meinulf Küsters an Religiosenkongregation, 17.11.1929 (ASO, A.4.2).

*solveretur.*


*Quam ad rationem sequentia exponam: Valor fundi 3.500.000 shil. aestimatus est. Fructus fundi oeconomici 2-3% valoris fundi ipsius non transgreditur secundum computationem communem.*

*Cellerarius autem per annum fructum 920.000 shil. computat, quae sunt fere 26%.*

*Qua ex computatione mihi persuasum est fieri non posse, quin monasterium nostrum ruinam materialem effugiat, nisi contractus ad irritum redigatur.*

*Ruina vero spiritualis ruinam materialem concomitari solet. Cuius propositionis testimonium relationem processus nuper habiti adjungo, ex qua patet disciplinam monasterii valde concussam esse, praesertim cum casus ille singularis non sit, sed intra annos novissimos complures casus eiusdem generis acciderint, cum intra tum extra monasterium, quin vero ad tribunale judicii saecularis relati sint.*

*Quapropter Eminentiam vestram suppliciter rogo, ut Visitatio Canonica sive informatio subtilis habeatur.»*



*P. Meinulfus Küsters.*

P. Meinulfus itaque in scripto suo imprimis atque satis fuse condicionem Archiabbatiae Otteliensis tractavit, quae ex incepto Tragoessiano exorta est. Facta autem correcte exhibuit atque inde conclusionem traxit Archiabbatiam Otteliensem immediate ante perniciem versari, nisi contractus lignorum caedendorum irritus redderetur.<sup>6</sup> Inciso quodam brevi praeterea demonstravit in Archiabbiā Otteliensi iuxta descensum materialem etiam exstare descensum spiritualem moralemque, quo tota disciplina in monasterio esset concussa.<sup>7</sup>

- 
- 6 Interrgoandum hic tamen est, quibus argumentis talis solutio contractū omnino fieri potuisset. Praeterea ante contractum initum «Culturali Societati» atque Archiabbatiae decoctio iam imminebat.
  - 7 P. Meinulfus in ipso scripto pro exemplis delictorum moralium non quidem indicavit nomina, sed adiunxerat documenta. Praesertim ei agebatur de casū P.ris Macarii Spitzig ((1887-1957), Archiabbatiam intraverat die īdem 13 m. Febr. a. 1915, sacerdotio auctus

Etiamsi de hac actione P.ris Meinulfi - etiam quod attinet ad disciplinam monasticalem - aliquatenus dubitandum erat, idem in insequentibus tractatibus historicis saepe ut servator Archiabbatiae Congregationisque appellatur.<sup>8</sup> Ipsa talem aestimationem paululum modificarem, quia unā ex parte imprimis episcopus Thomas Spreiter atque Abbas Bonifatius Sauer iam pri-dem id studuerant, ut in Archiabbiatā visitatio canonica institueretur,<sup>9</sup> alterā ex parte alii quōque Patres Ottiliani epistulas querimoniales exaraverant vel

---

erat die 21 m. Iul. 1921), qui - ut manifestabatur - saepius coniunctionem cum iuvenibus quaestū parentibus inierat, qui iuvenes deinde minis adhibitus pecuniam ab ipso postulaverant. Ut hanc pecuniam eis solveret, eandem ex cassa domūs editoriae sūmpsit, cuius praepositus illo tempore erat. Hic casus ad tribunal Monacense perlatus est et P. Macarius non solum ad poenam carceris damnatus est, sed etiam propter delicta sua anno 1929<sup>o</sup> ex monasterio dimissus est. Mense Septembri a. 1931<sup>o</sup> Trappistorum monasterium Engelsberg intravit (verisimiliter historiam suam praecedentem non commemorans), ubi usque ad annum 1939<sup>um</sup> versabatur. - *Cfr* ASO, A.1.1 (PA Spitzig). - Processum autem iuridicum contra P.rem Macarium Spitzig diebus 12/13<sup>m</sup> Nov. a. 1929<sup>o</sup> institutum etiam commemoravit Martinus Malter in epistulā suā die 16 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2), ubi scripsit quōque eum ad custodiā trium mensium damnatum esse. In epistulā suā die 31 m. Dec. a. 1929 ad Martinum Malter datā (ASO, Z.3.01.11.2) Thomas Spreiter scripsit de «re tristi», tamen miratur P.rem Macarium demum processū iuridico finito e monasterio dimissum esse. Similiter Thomas Spreiter in diario suo, 19.12.1929 (ASO, A.1.8.1), qui ibi rem breviter adnotavit. - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER: Stella Maris (2003), p. 158, adn. 350, qui quōque nonnullas explicationes huius rei praebet.

- 8 *Cfr* ex.gr. Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (21992), p. 39; Cyrill SCHÄFER (2009), p. 158; Cyrill SCHÄFER: Die benediktinischen Kongregationen von St. Ottilien und Tutzing. In: Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 765, adn. 45; Godfrey SIEBER: The Missionary Benedictines of St. Ottilien. St. Ottilien 2016, p. 115; Maria KECSKÉSI: Das Lied, der Mönch und die «Lippennegerinnen», oder: Der Zickzackkurs eines eifrigen Missionars. In: Aviso. Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst in Bayern 1, 2009, p. 150, quae praeterea in illo inciso brevi, quā in hanc quaestionem incumbit, plures res falsas profert, cum praeter alia scribit Abbatem Norbertum praedium silvestre fundorum negotiationis causā emisse et postea P.ris Meinulfi indicio Romae exhibito monasterium quoddam Benedictinum Archiabbatiae Ottiliensis vicinum debita solvisse. Cyrill SCHÄFER: St. Ottilien. In: Germania Benedictina. 2 (2014), p. 1999 scribit de indicio anonymo; Hartmut MADL: Coelestin Maier (1999), p. 247 hōc in conexū actionem P.ris Meinulfi non commemorat, similiter ac Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 169.
- 9 Et Thomas Spreiter et Bonifatius Sauer Abbatem Primatem quoad visitationem ad actiones celeriores movere conabantur, sed etiam questi sunt de cunctandi frenandique modo Abbatis Placidi Vogel.

Romam se convertere saltem deliberaverant.<sup>10</sup> Praeter alios etiam P. Romualdus Heiß,<sup>11</sup> illius temporis Superior Otteliensis Collegii Monacensis, disponentiam suam nonnullarum condicionum modo scripto Romam transtulerat. Tamen ipse P. Meinulfus, ut videtur, inclinavit ad tales epistulas querimoniales directe ad Congregationem Religiosorum missas, si quid ipsi displicuit.<sup>12</sup> Nihilominus hōc in casū eius actione versimiliter visitatio celerius instituebatur. Sed vera servatio ex ipsā visitatione atque ex consiliis susceptis inde

---

- 10 Ut videtur, etiam P. Dominicus Enshoff talem epistulam cum querimoniis Archiabboti ipsi tradidit, qui eandem unā cum responso suo ad Abbatem Primatem transmisit (*cfr* epistula Norberti Weber die 8 m. Nov. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). P. Notker Mannhart quoque tale scriptum P.ris Dominici Enshoff commemoravit, quod īdem directe ad Abbatem Primatem misisset (*cfr* epistula Notkeri Mannhart die 29 m. Nov. a. 1929 ad Carolum [Karl] Weiss missa (ASO, A.4.2), item P. Martinus Malter (*cfr* ipsius epistula die 16 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2). Qualia opprobria exacte P. Dominicus Enshoff protulisset, non innotuit, cum eius scriptum non iam extare videtur. Cum autem P. Dominicus saepe res quadamtenus perturbatas atque non ita ordinatas exhibuisset, eius sententiae verisimiliter non tam serio receptae sunt. Similem suspicionem etiam profert Cyril SCHÄFER (2005), p. 158. - P. Notkerus Mannhart ipse iam mense Iulio a. 1929<sup>i</sup> exsituavit «*si oeconomia in praedio Tragoessiano et circa īdem eodem modo perageretur, verisimiliter publicam iudicationem*» fieri (epistula Notkeri Mannhart die 20 m. Iul. a. 1929 ad Placidum Vogel directa (ASO, A.4.2)). Et in commercio epistulari cum P.re Martino Malter sententiam profert se «*inquisitionem rei ab hominibus externis optimum esse*» putare (epistula Notkeri Mannhart die 12 m. Nov. a. 1929 ad Martinum Malter missa (ASO, A.4.2)). - Sententiae originaliter Theodiscae.
- 11 P. Romualdus Heiß natus die 17 m. Oct. a. 1897 in loco Hiltenfingen in dioecesi Augustana sito, die 5 m. Oct. a. 1919 Archiabbatiam Otteliensem intravit et die 19 m. Iul. a. 1924 sacerdotio auctus est. Ordinem Benedictinum reliquit die 29 m. Iun. a. 1930 et deinde munere sacerdotis saecularis functus est. - *Cfr* ASO, A:1.1 (PA Heiß).
- 12 De hac re *cfr* Vol. 2, cap. 9.4. - Quod et Archiabbas Norbertus Weber et episcopus Thomas Spreiter iam annis anterioribus difficultates quasdam cum ipso habebant, ex eorum commercio epistulari appetet. Etiam in diario suo Thomas Spreiter illo tempore, quo P. Meinulfus Küsters in Africā Meridionali versabatur (1923-1926), nonnullas adnotationes exhibuit. Novissimo scripto P.ris Meinulfi ad Congregationem Religiosorum misso Abbas Bonifatius Sauer quoque de eo sententiam protulit. Interrogavit enim Abbatem Primatem, quid de illo sentiret et num bonum esse putaret eum in clericatū Monacensi versari. Nonnulla, quae P. Meinulfus diceret, «*effectum veneni in hominibus iuvenibus habere*» debere. Tamen Bonifatius Sauer subiunxit: «*Eum esse malum hominem non puto, sed immo ei esse firmam indolem atque eum esse sacerdotem honestum, sed non esse Benedictinum.*» (epistula Bonifatii Sauer die 18 m. Mart. a. 1930 ad Fidelem v. Stotzingen directa (ASA, APr 585). - Sententiae originaliter Theodiscae.
- Tamen his adnotationibus nullo modo aestimatio operum scientificorum P.ris Meinulfi Küsters ut ethnologi obtrectentur. - Plura de hac re *cfr* cap. 15.6.3.

sequentibus provēnit.



P. Romualdus Heiß.

Dum ergo investigatio Archiabbatiae suscipiebatur, Vindobonae in rebus Tragoessianis ulteriora facta perpetrabantur. Archiabbas Norbertus post experientias inter consultationes ad contractum lignorum caedendorum spectantes factas, quibus delagtos Conventūs sustinere coactus erat, facultates consulendi iterum sibi soli acquisivit. Eugenio von Stirling - ut appareat - contigit, ut Archiabbiati Norberto Weber atque P.ri Aloisio Seibert persuaderet «Culturalem Societatem» solam non esse aptam, ut contractum lignorum caedendorum exsequendum observaret atque praestaret, quā de causā iuridica persona independens hōc officium susciperet.<sup>13</sup> Et hanc

personam iuridicam Eugenius von Stirling iam invenerat.<sup>14</sup> Agebatur de officina lignaria, cui nomen erat Reichraminger (quae erat actionaria societas),<sup>15</sup> quae sedem suam Vindobonae habuit et quae illo temporis momento in eo erat, ut decoctionem pateretur. Ut illa officina (vel potius eius tegumentum, ut ita dicam) adhiberetur, nonnulli contractū conventionesque inter se cohaerentes iniebantur, qui in legendō quidem miri esse videntur, qui tamen verisimiliter iuridice impugnari non potuerunt. Definitiva autem descriptio decisionum, quae scilicet antea iam disputatae erant, diebus 27° et 28° m. Dec. a. 1929° Vindobonae fiebat.<sup>16</sup>

Primo ita agebatur, ut officina debilitata non omnino dissolveretur, sed auxilio summae āctiarum eadem sub aspectū externo servaretur. Hōc contigit

---

13 Ad hanc rem etiam Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2).

14 Vix putandum est Archiabatem Norbertum et P.rem Aloisium antea ullam notitiam de officinā provisā habuisse vel ipsos nexūs cum eādem iunxisse.

15 societas actionaria / societas anonyma: *Aktiengesellschaft*. - Cfr Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti 31991, p. 70.

16 Iam die 23 m. Dec. a. 1929 Archiabbas Norbertus in sessione Capituli in conexu relationis, quam de statu rerum Tragoessianarum fecit, annuntiavit negotiorum administrationem Tragoessianam nunc in manibus alicuius actionariae societatis (sive societatis anonymae) esse (cfr Acta Capituli, 23.12.1929 (ASO, A.3.3.5). Plura autem indicia videtur non dedisse.

liquidatione internā, quae dicitur, quā p̄stini possessores totius fascis āctiarum Dr Maximilianus von Tayenthal, ingenarius Alfredus Günther atque Henricus Falter eum «Culturali Societati» vendiderunt, quae hunc in modum officinam Reichraminger suscepit et societas quaestuosa in «plena possessione non impeditā totius summae āctiārum» remansit.<sup>17</sup> Tota autem summa āctiārum constitit 200.000 scellinorum.<sup>18</sup> Proximus gressus in toto incepto efficiendo erat in eo, quo in quinto conventu generali novum concilium administrationis officinae Reichraminger eligebatur.<sup>19</sup> Novi ergo in hōc conciliō administrationis erant Archiabbas Norbertus Weber ut praesidens «Culturalis Societatis», P. Aloisius Seibert ut eius vicepraesidens, consiliarius nationalis Praelatus Michael Gangl,<sup>20</sup> Dr Maximilianus Hussarek-Heinlein,<sup>21</sup> Eugenius v. Stirling, Fridericus v. Stirling, Dr Carolus Weiss,<sup>22</sup> David Schnabel<sup>23</sup> et denuo eligebantur Dr Maximilianus von Tayenthal atque inge-

- 
- 17 *Cfr* Protokoll der 5. ordentlichen Generalversammlung der Reichraminger Holzindustrie AG, 27.12.1929, p. 5 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)); Conventio inter officinam Reichraminger AG et D.rem Maximilianum von Tayenthal, ingenarium Alfredum Günther, Henricum Falter, 27.12.1929 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)).
- 18 Protokoll der 5. Generalversammlung, 27.12.1929, p. 5 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)), - Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2) indicat emptionis pretium āctiārum fuisse 360.000 scellinorum. Quomodo ad hanc summam pervenerit, non satis clarum est.
- 19 *Cfr* Protokoll der 5. Generalversammlung, 27.12.1929, p. 4 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)).
- 20 Praelatus Michael Gangl (1885-1977) praeter alia annis 1922-1932 erat in provincia Regionis Castellanae\* secretarius regionalis factionis Christiano-socialis, annis 1923-1930 et annis 1930-1934 delegatus in concilio nationali, insuper annis 1929-1962 parochus oppidanus in oppido Eisenstadt.
- \* Regio Castellana: *Burgenland*. - *Cfr* Carolus EGGER: Lexicon Nominum Locorum. Romae 1977, p. 64.
- 21 Dr Maximilianus [Max] Hussarek-Heinlein (1865-1935), sodalis factionis Christiano-socialis, erat annis 1911-1917 administer publicus rei educatoriae, mense Iulio a. 1918 usque ad mensem Octobrem a. 1918 praesidens administrorum monarchiae Danuvianae, inde ab anno 1895 etiam professor iuris ecclesiastici in studiorum universitate Vindobonensi (1895-1918, 1921-1927).
- 22 Dr Carolus [Karl] Weiss erat iurisconsultus Monacensis Archiabbatiae Ottiliensis atque «Culturalis Societatis».
- 23 Rei lignariae peritum Davidem Schnabel Vindobonensem Eugenius v. Stirling ut cooperatorem acquisiverat.

narius Alfredus Günther.<sup>24</sup> Eādem in sessione constituebatur commissionem institutum iri, quae constituit e P.re Aloisio Seibert atque D.re Carolo Weiss et quae cum pristinis possessoribus āctiārum de modis liquidationis internae conveniret.<sup>25</sup> Res ipsa tamen iam antea fuerat constituta atque facta, aliter quidam gressūs anteriores fieri nondum potuissent.

Sed haec nondum sufficiebant. Vespere eiusdem diei novum concilium administrationis sessionem instituit, quā Archiabbas Norbertus Weber praesidens huius concilii electus est, vicepraesidentes vero Dr Maximilianus Hussarek atque Eugenius v. Stirling.<sup>26</sup> Praeterea hac in sessione constituebatur, ut inter societatem actionariam Reichraminger atque «Culturalem Societatem» Archiabbatiamque Ottiliensem contractus iniretur, quo officinae Reichraminger administratio praedii Tragoessiani et regimen observatioque contractū lignorum caedendorum traderetur.<sup>27</sup> Iam die 28° m. Dec. a. 1929° hic contractus modo scripto exaratus est.<sup>28</sup> Contractū continebatur traditio officiorum iam commemoratorum, et haec conventio in quindecim annos iungebatur, id est in īdem spatium temporis, quo contractus quōque lignorum caedendorum valebat. Insuper praeter alia constituebatur, ut in administrationem praedii omnes potestates necessariae includerentur.<sup>29</sup> Alicuius mo-

---

24 Quinque ex prioribus consiliariis administrationis iam in antecessum declaraverant se propter scoietatis structuras mutatas iterum eligi nolle. - *Cfr* scripta testimonia die 12 m. Dec. a. 1929 exarata (ASO, A.4.2. (Akte Reichraminger)). - Numerus sodalium concilii administrationis hac in sessione etiam auctus esse videtur.

25 *Cfr* Protokoll der 5. Generalversammlung, 27.12.1929, p. 5 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)); Conventio inter officinam Reichraminger AG et D.rem Maximilianum von Tayenthal, ingenarium Alfredum Günther, Henricum Falter, 27.12.1929 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)).

26 *Cfr* Protokoll über die Verwaltungsratssitzung der Reichraminger AG, 27.12.1929, p. 1 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)).

27 *Cfr* Protokoll über die Verwaltungsratssitzung der Reichraminger AG, 27.12.1929, p. 2 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)). - Ut hic contractus institueretur, formabatur commissio exactoria, quae dicitur, quae constituit ex Eugenio v. Stirling, Friderico v. Striling, P.re Aloisio Seibert atque Davide Schnabel.

28 Hac in re officina Reichraminger repraesentabatur a D.re Carolo Weiss atque Davide Schnabel, «Culturalis Societas» Archiabbatiaque Ottiliensis ab Archiabbe Norberto Weber.

29 *Cfr* Gedenkschrift zur Verwaltungsübertragung, 28.12.1929, § III, pp. 2 sqq. (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)). - His potestatibus praeter alia continebatur ius, quo repreasentantes omnia iussa cum administratione coniuncta suo arbitrio exhiberent atque etiam omnia mandata, quae secundum opinionem eorum necessaria essent; praeterea ius, quo omnes

menti praeterea sunt conventiones pecuniariae, cum «Culturalis Societas» Archiabbatiaque omnem pecuniam pro administratione Tragoessianā erogandam praebere debuerit.<sup>30</sup> Pecunias acceptas «Culturali Societati» ad usum traditum iri, nisi eadem ad praedii administrationem necessariae essent. Hoc tamen in praxi significavit «Culturali Societati» verisimiliter nihil remansurum esse, praesertim cum pro officina Reichraminger insuper praemium quinque centesimarum omnis pecuniae allatae praevisum esset.<sup>31</sup>

Sicut digna est constitutio expressis verbis porlata, quā officia officinae Reichraminger tradita tantummodo ab Eugenio v. Stirling, Friderico v. Stirling atque Davide Schnabel explenda erant.<sup>32</sup> Causam huius condicionis esse indicabatur illas tres personas iam pridem res Tragoessianas bene noscere atque praeterea fiduciā «Culturalis Societatis» Archiabbatiaeque Otteliensis frui. Ex hoc punctō speciali deinde etiam conventio separata cum cum fratribus Stirling atque cum Davide Schnabel exorta est, quā «compensatio pecuniaria» laborum ab ipsis exanclatorum praescribebatur.<sup>33</sup>

---

cooperatores suo Marte accirent atque dimitterent, consultationes cum omnibus aliis officinis instituerent, vice «Culturalis Societatis» ante tribunal fungerentur. Insuper decernebatur, ut omne commercium epistulare cum aliis officinis (etiam cum officinis Glesinger et Schwarz) tantummodo directe ad officinam Reichraminger dirigendum esset et ut etiam ratiocinatio atque administratio pecuniaria centraliter in sede officinae Reichraminger Vidobonae instituendae essent.

30 *Cfr* Gedächtnisschrift zur Verwaltungsübertragung, 28.12.1929, § VII, p. 6 sq. (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)). - Ad hanc pecuniam erogandam pertinebant salario, vectigalia, tributa publica, sumptūs pecuniae collocandae rerumque restituendarum etc. Hanc pecuniam «Culturalis Societas» semper in tempore ad officinam Reichraminger transferre debuit.

31 *Cfr* Gedächtnisschrift zur Verwaltungsübertragung, 28.12.1929, § VIII, p. 7 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)). - Ad hos reditūs etiam pertinebant pecuniae ex agriculturā atque re pecuariā, ex piscaturā, ex venatione, ex locatione etc. acceptae.

32 *Cfr* Gedächtnisschrift zur Verwaltungsübertragung, 28.12.1929, § VI, p. 5 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)).

33 *Cfr* Gedächtnisschrift Spesen und Diäten, 28.12.1929 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)). - Haec conventio inita est inter «Culturalem Societatem» Archiabbatiamque a Norberto Weber repraesentatas una ex parte et Eugenium v. Stirling, Fridericum v. Stirling, Davidem Schabel altera ex parte. Hac in re eis singulis annua summa pecuniaria generalis 12.000 scellinorum concedebatur, quae spectabant ad sumptūs itinerarios, ad sumptūs mansionis, ad sumptūs repraesentationis, praeterea eis habitationes gratuito praebebantur, cum in praedio Tragoessiano versarentur. Insuper constituebatur, ut illo casū, quō Archiabbatia Otteliensis munera illarum personarum eis nihil delinquentibus non iam exigere vellet, eis singulis 20.000 scellinorum satisfactionis solvenda essent.

Cum nunc illi contractūs conventionesque aspiciantur, scilicet interrogatur, qualis scopus iisdem perpetraretur et quale emolumentum «Culturali Societati» atque Archiabbatiae Ottliensi inde exoriretur. Imprimis conspicuum est illis in contractibus inter se artē coniunctis iterum iterumque iidem homines apparent, quibus aliquo modo favebatur vel iura accipiebant, nempe Eugenius v. Stirling, Fridericus v. Stirling atque David Schnabel. Iidem in administrationis concilium officinae Reichraminger electi sunt, Eugenius v. Stirlings vicepraesidens redditus est, illis tribus personis ab officina Reichraminger, in cuius praesidio erant, administratio praedii silvestris Tragoessiani tradita est, ad quam rem facultates amplae acceperunt. Archiabbas Norbertus Weber omnibus in conventionibus tantummodo instrumento affirmante fungebatur. Scopus itaque erat in eo, ut praesertim fratribus Stirling, imprimis Eugenio v. Stirling, eo maior auctoritas in praedium silvestre et hunc in modum eo maior possilitas lucri accipiendi preeberetur.<sup>34</sup>

Quale emolumentum tunc «Culturali Societati» atque Archiabbatiae Ottliensi illā actione Reichramingerianā erat? Etiam hac in re responsum satis facile est: nullum. E contrario. Archiabbatiae ad āctias emendas 200.000 scellinorum solvenda erant et eidem omnes sumptūs administrationis aliisque erogandi erant. Insuper Archiabbatia atque «Culturalis Societas» paene omne ius in rebus praedii silvestris decernendi amiserunt. Archiabbatiae Ottliensi quidem erat absoluta maioritas āctiarum officinae Reichraminger, tamen variis contractibus atque aliā conventione speciali eidem possibilitates statuendi auctoritatemque exserendi maximā ex parte dempta sunt.<sup>35</sup> Ut mani-

---

34 Quod hac in re solum agebatur de auctoritate ampliandā praeter multa alia etiam inde manifestatur, quod translatio administrationis Tragoessiana ad Eugenium v. Stirling ab officina Reichraminger facienda non fuisset necessaria, cum īdem in conexū cum contractū lignorum caedendorum regimen praedii iam acceperat.

35 Illā conventione speciali agebatur de āctiarum syndicatū instituendo. *Cfr* Gedenkschrift Syndikat, 28.12.1929 (ASO, A.4.2 (Akte Reichraminger)). - Eādem autem constitutum est, ut tres coetus, qui unā totam materiem āctiarum possidebant, ad syndicatum coniungerentur. Primus coetus constituit ex Archiabbiā Ottliensi atque «Culturali Societate» (repraesentatae ab Archiabbate Norberto Weber), qui 19.700 āctiarum possidebat, secundus coetus constituit ex Eugenio v. Stirling atque Friderico v. Stirling, quibus 200 āctiae erant, et tertius coetus tantummodo ex Davide Schnabel constituit, cui 100 āctiae erant. Quomodo illi duo alii coetus āctias suas acceperint, non satis clarum est, fortasse eādem illis ab Archiabbate traditae sunt. Iuxta alia statuta erat magni momenti, quod officium sessionum syndicatū erat in eo, ut de rebus negotialibus officinae Reichraminger, quae erant alicuius ponderis, decerneretur. Expressis autem verbis hic excipiebatur administratio praedii Tragoessiani. Ut illa decreta essent valida, in casū normali maioritas

festum est, neque Archiabbas Norbertus neque P. Aloisius animadverterunt, in quam rem implicarentur. In Archiabbiā autem Ottiliensi de his conventionibus amplioribus primo nihil innotuit.

Petitionem vero P.ris Meinulfi Küsters Congregatio Religiosorum statim, postquam eam accepit, ad Abbatem Primaten transmiserat - ad quem éadem viā normali primo pertinuissest -, qui ex suā parte Archiabbatem Norbertum certiorem fecit tamen nomen illius, qui querimonias exhibuerat, non indicans.<sup>36</sup> Explicationes autem, quas Archiabbas deinde in initio mensis Decembris ad Congregationem Religiosorum misit, non vere satisfacientes fuisse videntur, cum iisdem progressus ultior rei visitationis non sisteretur.<sup>37</sup>

Archiabbas Norbertus illo temporis momento internā condicione difficillimā versabatur: magnum problema Tragoessianum celeriter solvi non potuit (etiamsi per errorem putavit se in bonā viā esse), magna pars conventū paulatim confidentiam in eius facultatem ducendi amisit, plures epistulae

---

absoluta sodalium syndicatūs eis assentiri debebat (nonnullis in quaestionibus solum unanimitas votorum valuit). Etiamsi «coetus Ottiliensis» ex duobus repraesentantibus constitut (quae possibilis exstitit) et etiamsi maioritas ḥactiarum ei erat, tamen semper suffragis vinci potuit, cum David Schnabel illo tempore ab fratribus Stirling dependeret. Praeterea sodales syndicatūs obligationem inierunt, quā in concilio administrationis atque in commissione votum semper ad decreta syndicatūs exsequenda proferrent. Tota ergo constructio etiam eo scopo fungebatur, ut dominatus Eugenii v. Stirling ampliaretur.

36 De his conexibus fuse scribit Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 161 sqq.

37 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 161 hōc scriptum appellat «mire perturbatum atque abstrusum». Iure etiam opinatur mirum esse Archiabbatem se excusare, quod Sanctam Sedem de contractū lignorum caedendorum ex penuria temporis nondum certiorem facere potuisset. Suspicionem Cyrilli Schäfer omnino rectam esse puto Archiabbatem Norbertum Sanctam Sedem revera certiorem facere noluisse, cum timeret, ne conamina se immiscendi ipsi iniucunda inde exhiberentur.

[Cyrill SCHÄFER (2005), p. 162 hic per errorem scribit contractum lignorum caedendorum mense Octobri a. 1929 iunctum esse. Revera ille contractus die 18 m. Aug. a. 1929 institutus est.]

Ad hunc conexum etiam pertinet epistula quaedam Norberti Weber ad Gabrielem Lochner, secretarium Abbatis Primatis, data (die 13 m. Sept. a. 1929 (ASA, APr 578)), quā Archiabbas scripsit sibi ipsi adhuc «*petitionem ad servandi actionem sanandam*» ad Congregationem Religiosorum esse mittendam, id quod nonnullas septimanas duraturum esse. Hanc retardationem Archiabbas Norbertus explicuit scribens sibi «*consultationibus excitatoriis atque curis plenis peractis paululum relaxationis*» necessarium esse. Etiam hōc argumentum condicione difficili atque revera periculosā valente aliquatenus mirum esse videtur.

querimoniarum Romam missae sunt<sup>38</sup> atque visitatio extraordinaria instituit, ex quā nullam veram solutionem exspectavit. Itaque eius sensū depressivi et quadamtenus contradictorii non sunt mirandi. Erga Abbatem Primatem protulit se «*cum gaudio illum diem salutare, quo onus [muneris] ipsi deme-retur*»,<sup>39</sup> tamen statim subiungens se timere, ne collapsus Archiabbatiae Ottiliensis esset sequela immediate exoriunda resignationis suae.<sup>40</sup> Explicationem autem, cur talem opinionem non omnino intellegibilem haberet, non praebuit neque praebere voluit. Sed iam duobus diebus post perceptionem suam iteravit se ipsum visitationem extraordinariam non timere. Tamen - ut scripsit - «*Congregationi eadem fortasse interitui fiat. Sed hoc tunc illi Patres praestare debent, qui hanc rem provocaverunt.*»<sup>41</sup> Archiabbas Norbertus videlicet perspectum non habuit, quale esset problema fundamentale, vel sibimet ipsi hoc confiteri noluit. Praeterea sensus vix vitari potest Archiabbatem Norbertum talibus enuntiatis visitationem tamen arcere voluisse.

Monachi Ottiani scilicet perceperunt visitationem extraordinariam instare, sed nihil certum sciverunt, neque quod attinebat ad tempus neque ad personam visitatoris. Atmosphaera inter confratres itaque satis perturbata atque irritata erat. In fine mensis Decembris a. 1929<sup>i</sup> Abbas Primas Fidelis von Stotzingen Archiabboti Norberto nuntiavit respectū opprobriorum fortium atque difficilis condicionis Archiabbatiae visitationem extraordinariam esse necessariam et his ex causis semet ipsum visitationi praefuturum esse. Re-

38 P. Romualdus Heiß, illius temporis Prior Ottiani Collegii Monacensis, mense Ianuario a. 1930 aliam epistulam querimoniarum Romam miserat. Quod erat argumentum eius querelae, non satis clarum erat, etiamsi verisimiliter agebatur de similibus punctis ac in petitione P.ris Meinulfi. - *Cfr* epistula Norberti Weber die 22 m. Ian. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). Etiam Cyrilus SCHÄFER (2005), p. 368 hanc querimoniam P.ris Romualdi commemorat.


39 Epistula Norberti Weber die 12 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

40 In eādem epistulā diei 12 m. Dec. a. 1929 in fine legitur: «*Quod tunc fiat, ipse tranquille exspectare possum, etiamsi flens in parietinīs Archiabbatiae Ottiliensis stare deberem. Id quod sustinere non possem, esset conscientia me esse in culpa, quia ignave aufugissem.*» Norberti Weber timorem collapsū Archiabbatiae Ottiliensis, cum resignaret, etiam commemorant Hartmut MADL (1999), p. 247; Cyril SCHÄFER (2005), p. 162.

41 Epistula Norberti Weber die 14 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Eodem sensū rem etiam protulit, cum scriberet: «*Scio nonnullos resignationi meae denique etiam pretio interitūs Archiabbatiae Ottiliensis assentiri - illi miseri longius non cogitant.*» (epistula Norberti Weber die 2 m. Ian. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 568)).

vera Abbatii Primati nihil aliud relinquebatur ac ipse munus suscipere, cum tempore praecedente se gerendi modo haesitante atque aliquatenus confidentiam nimiam praebente, quem erga Archiabbatem Norbertum habuit, etiam aliquid attribuerat, ut condicio peioraretur, et cum epis copus Thomas Spreiter, qui quōque visitator aptus existimabatur, iam anno 1928<sup>o</sup> clare significavisset se visitationem Archiabbatiae Ottiliensis non iam suscepturum esse.<sup>42</sup> Archiabbatis Norberti animus quadamtenus levatus erat, si iam visitatio necessaria erat, Fidelem von Stotzingen eandem exhibitorum esse, qui erga ipsum semper benevolens fuerat et quocum amicitiā coniunctus erat. Abbas Primas ipse non solum ex ipsis causis realibus, sed etiam ex causis personalibus ad munus exanclandum sensibus non bonis prospexit.<sup>43</sup>

In Archiabbatia Ottiliensi interea usitati labores cottidiani continuabantur, quamquam contentio interna satis magna erat. Etiam Archiabbas Norbertus demonstrare studuit se munus suum adhuc strenue atque efficaciter explere valere,<sup>44</sup> etiamsi - uti commemoravimus - tantummodo paucis hominibus



Abbas Primas  
Fidelis von Stotzingen.

42 Cfr epistula Thomae Spreiter die 23 m. Oct. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 595).

43 In epistulā ad Thomam Spreiter die 31 m. Ian. a. 1930 (ASA, APr 595) scripsit haec: «*Sub aspectū humano dictum anxie atque trepide hanc visitationem timeo.*» - Sententia originaliter Theodisca.

44 Ut exemplum huiusmodi conaminis Cyrillus SCHÄFER (2005), p. 163, adn. 361 affert novum studiorum programma restringens, quod Norbertus Weber in fine anni 1929<sup>i</sup> exaravit. Cyrillus Schäfer hōc locō etiam causas huius scripti Archiabbatis explicat. Nam in Collegio Monacensi inter nonnullos clericos modus se gerendi aggressivus erat exortus, qui itaque benedictionem sacerdotalem nondum acceperunt et deinde dimissi sunt. Praeterea rixae inter studentes atque Monacensem Priorem P. rem Romuladum Heiß factae sunt. - Verisimiliter etiam haec nova praecepta Archiabbatis (nam studiorum programma hic textus revera appellari non potest) erat causa epistulae querimoniales, quam P. Romualdus Heiß Romam misit.

Ipse textus horum novorum praeceptorum invenītur ut annexus ad Annales annorum 1929-1934 (ASO, A.3.4.4). Norberto Weber imprimis agebatur de officiis atque muneribus Praefectorum clericorum et Monaci et in Archiabbiatā Ottiliensi, quā in re causa ei erant eventūs in Monacensi Collegio modo commemorati. Cum propter se gerendi modum

fiduciae suae nisus est atque ex Conventū se retraxit. Ad tales actiones Archiabbatis etiam pertinebat emissio nonnullorum Patrum Fratrumque in Ottelianas regiones missionarias. Agebatur praeter monachos Suarzacenses atque Swikkerspergienses de Ottiensibus P.re Wolfgango Stelzer, P.re Iusto Gämperli, F.re Francisco Imhof et F.re Marcuardo Lerner, qui in Africam Meridionalem se conferrent, et de P.re Notkero Mannhart, qui pro regione Ilan in Manciuria sitā provisus erat.<sup>45</sup> Cum autem P. Notkerus atque Fr. Franciscus ut prīstini cooperatores in praedio Tragoessiano condiciones atque problemata bene perspecta haberent, satis celeriter suspicio exorta est illos ante visitationem amovendos curari, ne ad rem iam interrogari possent.<sup>46</sup> P. Notkerus ipse - fortasse a P.re Adalrico Mühlbach, illius temporis Superiori Uznacensi, instigatus - hanc emissionem vitare sive dilatare conatus est, cum colloquium de hac quaestione cum Archiabbe habaret. Qui tamen primo in decreto suo insistebat, sed P.ri Notkero proposuit, ut non in regionem Ilan, sed in Africam Orientalem iret.<sup>47</sup>

---

nonnullorum clericorum existimaret viros responsales non satis eorum vitam spiritualem internumque progressum observavisse atque foviisse, praescriptis suis mutationem fundamentalē progrediendi modi Praefectorum impellere conatus est. Praecepta in octo puncta distributa sunt, quibus Archiabbas fundamentalia ordinare vult. Unā ex parte ei est magni momenti habitum spiritualem asceticumque, qui in novitiatū exercebatur, tempore clericatū firmari ampliarique, ut hunc in modum «*deditio ad munus*» foveretur. Alterā ex parte punctum maximi momenti est in eo, ut haec eruditio atque promotio spiritualis clericorum ab eorum Praefectis dirigatur atque observetur, quibus est responsalitas boni effectū. Norbertus Weber talia singillatim explicat usque ad taciturnitatem observandam, ad lectionem mensalem atque ad praescriptum, quo loco clericis inter ferias versandum sit.

- Haec praescripta revera criticam exhibent Praefectorum clericorum, imprimis illius qui munere in Collegio Monacensi fungebatur.

45 Omnia nomina unā cum locis destinationis exhibentur in Chron. Ottil. m. Iul. a. 1929 ad m. Ian. a. 1930.

46 Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 164; Ivo AUF DER MAUER: P. Prior Notker Mannhart. Uznach 2009, p. 21. - Cfr de hac re adnotatio quōque Thomae Spreiter in epistulā suā die 4 m. Mart. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 595). Etiam Bonifatius Sauer multo post commemoravit in Archiabbiatā Ottiliensi vehementem reactionem contrariam imprimis contra emissionem P.ris Notkeri exortam esse, cum putaretur Archiabbatem P.rem Notkerum ut adversarium suum in rebus Tragoessianis ex Germaniā amovere voluisse (cfr epistula Bonifatii Sauer die 14 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 585). Scitū dignum tamen est Abbatem Bonifatium, qui illo tempore urgenter Patre apto indigeret, qui regioni Ilan praeesset, P.rem Notkerum pro hōc officiō virum idoneum appellavit.

47 Cfr Ivo AUF DER MAUER (2009), p. 21.

Norbertus Weber Fideli von Stotzingen haec incepta emissionis laetanter nuntiavit, quibus «*missioni bonum auxilium afferretur*», tamen nomina non exhibuit.<sup>48</sup> Tamen Abbatis Primatis responsum ut factum est verisimiliter non exspectavit. Idem enim Archiabbatem telegraphicē admonuit, ut in praesenti ab emissionibus abstineret.<sup>49</sup> Hunc in modum etiam P.ris Notkeri missio in regionem Ilan in irritum ceciderat.<sup>50</sup>

Romae quoque propter difficultates eminentes, quibus Archiabbatia Ottiliensis et hunc in modum tota Congregatio versabatur, tunc necessitas celerioris modi progrediendi percipiebatur. Cum Abbas Primas Fidelis von Stotzingen se ad visitationem extraordinariam Archiabbatiae Ottiliensis suscipiendam paratum esse dixisset, die 23º m. Ianuarii a. 1930º a Congregatione Religiosorum decreto speciali delegatus apostolicus redditus est,<sup>51</sup> ut conspectum exactum condicionum valentium praeberet atque proposita exhiberet, quomo- do problemata solverentur.<sup>52</sup> Textus autem huius decreti est hic:<sup>53</sup>

---

48 Cfr epistula Norberti Weber die 22 m. Ian. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578). - Archiabbas hic tantummodo numerum monachorum ex tribus Abbatiiis exoriundis indicavit, quos emittere voluit.

49 Norbertus Weber hōc telegraphēma in epistulā suā die 30 m. Ian. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 578) commemoravit et suspicatus est hōc iussum cohaerere cum visitatione instantे. Tamen subiunxit emissionem ante Aprilem a. 1930 omnino fieri non posse. Ex hac vero sententiā subauditur secundum opinionem Norberti Weber tale iussum Abbatis Primatis necessarium non fuisse.

50 In Chron. Otti. m. Febr. / m. Mart. a. 1930 ad rem corrigendam nuntiatur P.rem Notkerum Mannhart in regionem missionariam Yenki missum non iri [regio Ilan illo tempore adhuc ad regionem Yenki pertinebat]. - Etiamsi reliqui, ad quos illa emissio addubitate spectabat, aliquando in regiones eis destinatas pervenērunt, P. Notkerus numquam missionem aliis in terris suscepit, sed per multos annos in loco Uznacensi cooperatus est, cuius Prior anno 1947º factus est.

51 Iam die 8 m. Ian. a. 1930 papa Pius XI audientiā cum Praefecto Congregationis Religiosorum, Cardinali Aloisii Henrici Lépicier hunc modum progrediendi approbaverat.

52 Quod Fidelis von Stotzingen delegatus apostolicus redditus est, etiam commemorant Cyril SCHÄFER (2005), p. 164; Hartmut MADL (1999), p. 248; Cyril SCHÄFER: St. Ottiliens. In: Germania Benedictina 2 (2014), p. 1999; Cyril SCHÄFER: Die benediktinischen Kongregationen. In: Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 765. - Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 38; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyril SCHÄFER (edd.) (2003), p. 169 scribunt quidem Fidelem von Stotzingen visitationem exhibuisse, sed non quali officio.

53 Decretum Congregationis Religiosorum die 23 m. Ian. a. 1930 datum (ASA, APr 574).

*DECRETUM*

*Cum notum fuerit Congregationi de Religiosis Archiabbatiam Ssmi Cordis de St. Ottilien O.S.B. necnon totam Congregationem Otteliensem in difficulioribus versari adiunctis, opportunum visum est huic rerum conditio- ni, quoad eius fieri possit, efficax afferre remedium.*

*Ad hoc autem obtainendum Sacra Congregatio de Religiosis, obtenta ap- probatione a Ssmo Domino Nostro Pio PP XI in Audientia habita ab in- frascripto Cardinale Praefecto die 8 januarii 1930, praesentis Decreti tenore nominat atque constituit Revmum Abbatem Primatem O.S.B. D. Fidelem de Stotzingen Delegatum S. Sedis pro dicta Archiabbatia Otteliensi necnon pro iis monasteriis eiusdem Congregationis, quae in Europa sita sunt.*

*Eidem autem Abbatii Primi facultates necessariae conceduntur tum in spiri- tualibus tum in temporalibus ad solvendas iam ortas vel forte oriturae diffi- cultates bonumque promovendum eiusdem Archiabbatiae et totius Congregationis Otteliensis O.S.B. una cum potestate sibi assumendi, si opportunum Ipse ita judicaverit alium Abbatem uti comitem et consiliarium in Visitatione peragenda; accersitis insuper viris peritis pro examinanda re oeconomica.*

*Contrariis quibuscumque non obstantibus.*

*Datum Romae Secretaria S. Congregationis de Religiosis  
die 23 januarii 1930.*

*Aloisius Henricus M. Card. Lépicier OSM*

Non diu, postquam munus officiumque officialiter ei traditum est, Abbas Primas ad Archiabbatiam Otteliensem itineratus est, ut visitationem extra- ordinariam susciperet.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 224, 2021, pp. 195-211]